

62. Secundo. D. Bonavent. *Frequenter peccator, ait, quum huiusmodi, id est, mundi, quare delicias, iusto Dei iudicio perdet illas, ut pro deliciis rigorem, asperitatem, ac amaritudinem inueniat.* De peccatoribus ait Iob 30. num. 4. *Mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.* Ad conuiuia conueniebant impij, ut suaves epulas ederent, & deliciis indulgerent, & tamen quæ obsonia apponebantur, herbae, scilicet arborum cortices, & radix iuniperorum, sed his quid insuauius durius, asperius? Quæ non solum non delectant, sed etiam pungunt, & amaritate faciunt os. Hæc sunt mundi oblectamenta, quæ acerbiter, ac amaritudinem important. D. Gregorius: *Arbor iuniperi, ait, pro folijs punctiones habet. Sic quippe hirsuta sunt, quæ profert: ut spinis similia contrahentem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum; quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.*

63. Tertio. Res valde mira! Prodigus glandes in cibum præbebat, & hunc cibum valde tenuem non inde sibi parat? Si glandes sua in manu haberet, cur alienam spectat manum, ut aliquis ei porrigeret? & tamen; *Nemo illi dabit.* Cur eas non rapit? Cur eas non capit? Prodigus est tanta miseriam versaretur, tamen præditus erat bono ingenio, & bene in domo patris sui enutritus, proindeque nobili adolescentulo rapina pudor erat, ut potius eligeret fame perire, quam duas siliquas ex porcorum ore surripere, tam alienum est a viro nobili furandi vitium. D. Hieronymus in cap. 2. ad Titum: *Pulchrè, ait, quidem vir apprimè grauis, cum & cuiusdam iudicis laudaretur integritas, & diceret de eo ille, qui laudabat, non est fur, respondit, optimum seruum faceret, si nec fugitiuus esset, in tantum furti suspicio ab omni libero debet esse aliena.*

64. Postquam primus Parens peccauit, cum audisset vocem Domini deambulantis in Paradiso. Adam ubi es? *Abscondit se Adam a facie Domini?* Genes. 3. num. 8. Homo tam sapiens ut Adamus, qui optimè sciebat, quod omnia sunt nuda, & aperta oculis eius, tamen abscondit se, & quamuis ipse dixisset, *Abscondi me eo quod nudus essem.* Tamen præcipua erubescencia ex transgressione præcepti nascebatur, ut notat Rupertus lib. 3. in Genes. 14. Ex vno modico pomo tantus timor, & pudor, ut inter condensas arbores latere affectauerit; Adamus comedit fructum vetitum auctore serpente tanquam furto sublatum. Rupert. lib. 4. in Cant. *Serpens non dabit de suo, sed suadebat rapere de alieno.* Nam licet Deus omnia concesserit homini, arborem tamen illam ei interclusit. Comedit ergo ex illa Adamus tanquam ex alieno. Cum autem ipse esset nobilissima indole, ac magno ingenio præditus, & se viderit furti crimine fecdatum, tanto pudore est affectus, ut nihil aliud cogitauerit nisi fugere, seque abscondere, & non apparere. Theodor. quæst. 57. in Genes. *Latere conatus est, quasi cognoscens furari malum esse.*

65. Cum recessisset Iacob a domo Laban ipso infcio, insecutus est eum, illumque inuenit in monte Galaad, ipsūque obiurgauit, quod ignorante fugerit, filiisque suas clam abigeret, ac tandem cur furatus es deos meos. Cui Iacob ait: *Apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris,* Genes. 31. num. 32. Certum est quod pena proportionanda sit delicto; quomodo Iacob vir prudens rigidam mortis penam imponit

furanti idola, cum ipsa essent imagines quadam luteæ, vel lignæ: Ut fieri poterat ut Rachel, vel Lia, vel aliquis ex filiis eius illa furto abstulissent, quamuis ille penitus hoc nesciret; cur ergo pro re parui ponderis tam duram penam infligit statuit. *Necetur coram fratribus nostris.* Ex lege naturali deducebatur, ut ibi notat Lyppomanus, quod simplex furtum res erat execrabilis, magnæ infamiæ; inde Iacob constituit, ut furans idola lethali pena plectatur; per furtum enim ille expoliatur se honore, ac honesta fama, non ergo mirum, ut & vita priuaretur, ad quid requiritur vita incolumis, ubi honos est amissus? D. Chrysostr. homil. 57. in Genes. ibi: *Apud quem, inquit, inuenis fuerint, non uiuet coram fratribus nostris. Non solum quia ablatum est, sed quia furtum, qui fecerit, manifestam sui flagitij penam feret.* Vide supra cap. 21. num. 59.

Luc. 15. n. 17. In se autem reuersus, dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

VERSIONES.

Græcus. Ad animam autem suam reuersus.
Syriacus. Quomque ad se rediisset, ait: quot sunt mercenarij.
Arabicus In se autem reuersus, in semet ipso cogitauit, quanti mercenarij sunt in domo patris mei, quibus panis abundat.
Pagnin. Theop. Quam multi mercenarij sunt in domo.

EXPOSITIO IV.

N in se autem reuersus, Syriacus: ad animam suam, hoc est ad mentem, & cor suum rediens, ac rectè sapere incipiens, qui peccati ebrietate a se erat alienatus. Euthym. *Sui compos effectus, hoc est velut expurgatus ab ebrietate, grauiq; somno.* Theophylactus: *Ad se ipsum redijt.* *Quandiu male agebat, extra se ipsum erat; nam qui non bene gubernatur ratione, extra se ipsum est, & non manet in sua substantia.* Et D. Chrysostr. serm. 1. *In se redijt, ut rediret ad Patrem, qui a se ante recesserat, cum recessit a Patre.* Prodigus peccando cum pro re vili amittit totam suam substantiam, & diuina bona, extra mentem, & intellectum suum ferebatur, ut autem a multis malis eum opprimentibus liberetur, intrauit in semet ipso considerans quot mala sint in mundo, quot verò bona in domo Dei. Unde perbellè dixit D. Chrysostr. serm. 56. *Torum in se habet homo, si se habet ut operetur non secundum concupiscentiam, sed secundum rectam rationem.* Dixit, seu ut habet Arabicus, *Cogitauit.* Vigente fame, ac necessitate præfenti. Titus Bostrensis in se reuersus dixit, seu cogitauit. *Hoc est, ait, priorem felicitatem cum posteriori miseria conferens: qualisq; & quantum, quando*

Bonauent.
Iob 30.
Peccator, dicitur quare delicias, eas perdit, & amaritudinem inuenit.
Gregor.
Prodigus potius uult fame perire, quam furari.
Hieron.
Genes. 3.
Rupertus.
Furari alienum a viro nobili.
Theodor.
Genes. 31.

Lyppom.
Furto priuatur homo suo honore.
Chrysostr.
Nazianz.
Interlin.
Quid mercenarius deneret.
Interlin.
Nazianz.
August.
Beda.
Glossa.
Theophyl.
66.
Syriac.
Euthym.
Theophyl.
Chrysostr.
Arabicus.
Bostrenf.

cum patre adhuc agebat, animo pertractans: quam teier, & miserabilis tandem, postquam Deo deserto, demonibus cepit esse obnoxius euaserit: iterumq; expendens, ista recogitatio respiciens est. *Quanti mercenarij.* Mercenarius est operarius pro mercede diurna, de quo q. sequenti. Ego autem. Chrysostr. in Catena D. Thom. *Ego non alienus, filius boni patris; Ego liber, & generosus factus sum miser mercenarij; a summa celsitudine prima nobilitatis ad infimam humilitatem delapsus sum.* Deinde addit Prodigus. *Hic fame pereo.* Antea eluricabat ipsas carnales concupiscentias, ut illis saturaretur; modo fame petiit. Vbi enim abundantiam paternæ domus, cælestisque beatitudinis mente recogitauit, ex tunc intolerabilem reputat famem, quam sub carnalium cupiditatum tyrannide patiebatur.

QUESTIO IX.

Quare mercenarij dicuntur panibus abundare, & qui sunt hi mercenarij?

68. **M**ERCENARIUS est, qui operatur pro diurna mercede. Mysticus verò sensus inquirendus est. D. Nazianz. orat. in S. Baptisma. Interlineal. ac alij; cum per seniores filium Iudæos interpretentur; per iuniorem verò gentiles, sic rem explicant. Iudæi tanquam mercenarij spe bonorum temporalium Deo seruebant, & illis abundabant. Ego autem, qui sum populus gentilis omni ueritate destitutor. Secundo. D. August. lib. 2. quæst. Euang. per mercenarios intelligit prædicatores ob commoda temporalia ueritatem annuntiantes. Tertio. Beda. Mercenarij sunt, ait, qui futura mercedis intuitu digna operari fatagunt, & hi abundant panibus, id est quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimentis. Glossa moralis. *Abundant panibus Diuini Verbi, ac Eucharistiæ sacramenti.*
69. Ex quo bene Theophylactus ait; Tres sunt ordines eorum, qui saluantur. Quidam ut serui faciunt bonum, timentes iudicium, quod insinuat Dauid dicens. Psalm. 118. num. 12. *Confite timore tuo carnes meas, a iudicis enim tuis timui.* Alij verò mercenarij esse uidentur, qui desiderio bonorum, bene placere Deo cupiunt, ut ipse Dauid ait: *ibidem num. 112. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Alij ut filij sunt, qui propter amorem in Deum mandata perficiunt, sicut iterum Dauid, *ibidem num. 48. testatur: Leuani manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.*

70. Secunda quæstionis pars inquirat, quomodo dicatur, quod mercenarij panibus abundant. Cum cælestis panis nunquam uideatur abundare in mercenariis animis, cum magis, ac magis illum frequenter desiderant, & appetant. Erat prodigus iam in se reuersus penitens, & compunctus, ac proinde aliorum uirtutem, etiam minimam, magnam, & excellentiorem credebat, aliorumque opera, ex quacumque iustitiæ causa fierent, perfectissima reputabat, indeque eos omni cælesti dono abundare apud se statuebat. D. Bernard. serm. de diuersis affectionibus animæ. *Peccator, ait, compunctus reputat sanctissimum quacumq; ex causa alterum uideat innocentem.*

Cum Abrahamus sederet ad ostium tabernaculi sui. Apparuerunt ei tres uiri stantes prope eum, quos cum uidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Genes. 18. num. 2. Abrahamus genere illusterrimus, domo, ac amplitudine potentissimus, ac uenerandæ caritatis grauitate præditus; Illi autem solum uidebantur tres uiri aspectu iuuenes. Nam quando eos hospitio recepit, tres homines communes putabat, & esse Angelos ignorabat; ut colligitur ex Diuo Paulo 13. ad Hebræos numero. 2. *Lauerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Et docent D. Chrysostr. D. Ambros. Petera, Cornelius ad locum Genes. Ex quo surgit difficultas, quomodo Patriarcha tam magnus, prosternens se in terra in signum magnæ reuerentiæ tres illos iuuenes hospitio recepit? Tam insigni uirtute erat præditus Abrahamus, ut quemlibet inueniret se præstantiorem, ac excellentiorem arbitrareretur: indeque a se tanquam ab inferiori, omni reuerentia prosequendam fore existimabat. Adimplebat iam uir eximius in se documentum Apostolicum. Ad contemptionem, & inanem gloriam uitandam scribebat ad suos discipulos Paulus, ut alios, Superiores sibi inuicem arbitrantur; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. Ad Philip. 2. num. 2. *Vbi D. Anselm. Optime docet, ait, quomodo uitant contentionem, & inanem gloriam, & quomodo arbitrentur alios superiores, scilicet, si considerauerint, non sua bona, sed aliorum.*

Cum Angeli extra Sodomam deducerent Lot, ut ab incendio liberaretur, dicunt ei quod in montem ascendat, ut ibi saluetur; quibus ait Lot. *Quia inueni seruum tuum gratiam coram te, ut saluares animam meam, nec possum in monte saluari.* Genes. 19. num. 19. Quæ difficultas obicitur Lot ut in monte saluetur, cum hoc ei præciperent Angeli, quorum uirtutem, ac potentiam ipse bene agnoscebat; unde ergo timor, ut in montem ascendat? Prope illum montem inhabitabat Abraham, cuius uirtutem se esse superiorem certo credebat Lot, ac proinde timet ibi commorari, ne in conspectu Abraham ipse iniustus, & imperfectus appareat, tanquam poena dignus, & ideo in alium locum longe ab Abraham uult diuertere. Lytanus. *Secundum expositionem Hebræorum, ait, in monte, id est prope Abraham, qui tunc manebat in monte: timebat enim Lot si ueniret in uia Abraham, qui erat sanctus, eius imperfectio magis appareret, & a Deo puniretur.* Idem habet Lyppoman.

QUESTIO X.

Quare Prodigus uenit in mentem paternam domus, a qua recesserat in regionem longinquam?

IT Prodigus, quod mercenarij in domo patris sui panibus abundant. Ego autem hic fame pereo. Quæ uerba hic obiter sunt expendenda. Quomodo quod fame petiit? Nam Dominus, seu ciuis, cui adhæsit, ac inseruebat, absque dubio præbebat ei proportionatum alimentum ad uitam, sicut & porcis exhibebat; Cur ergo afluenter de se ait. *Fame pereo?* Prodigus afluens erat deliciis, ac epularum lenocinijs, & cum hæc ei deficerent, statim se tanquam

71.
Genes. 18.
Ad Hebr. 13.
Chrysostr. Ambros. Corneli.
Ad Philip. Anselm.
72.
Genes. 19.
Confessio Abrahæ se reputat Lot iniustum.
Lyran.
Lyppoman.
73.
Delitiosus se delitijs defraudatur, perit.
TT 4 dc

Genes. 3.

demortuum, ac fame contemptum iudicauit. Terram comedes cunctis diebus vite tue. Genes. 3. num. 14. Dæmonis vita habet determinatos dies? per rotam æternitatem, durabit. Quomodo ergo dicitur: cunctis diebus vite tue? S. Eucher. Cunctis diebus, omni scilicet tempore, ait, quo agis hanc potestatem. Quousque sunt dies dæmonis vitæ? Quousque à Christo foras emittetur. Nunc princeps huius mundi eiicitur foras. Ioann. 12. num. 31. Cum enim Diabolus haberet in more, vt esset huius mundi princeps, ac rector tenebrarum harum. Ad Ephes. 6. num. 12. Cum autem huiusmodi potestas dulce eius pabulum illi defuit, statim ipse se veluti extinctum, ac peremptum iudicauit. Ad quæstionem nostram.

74. Beda.

Pœnitentia mentis oculos ad diuinam contemplan-

Respondet primò. Beda. Unde hoc scire poterat, ait, in quo tanta erat obliuio Dei, sicut in omnibus idololatriis fuit, nisi quia ista recogitatio iam respiciens est. Iuuenis iste tota substantia dissipata, vitiis, ac voluptatibus immerfus erat, in illisque obcæcatus versabatur; vnde ergo habuit oculos, vt mercenarios abundantes in domo patris videre? Quibus oculis è tam longinquo mercenarios in domo patris videt? Aduerte, quod præmittit textus. In se autem reuersus. Iam erat respiciens, multoque dolore, compunctione, ac lachrymis lugebat præteritam vitam, recessumque suum à patre, & ipsa respicientia, ac pœnitentia acuerunt oculos, vt cælestem domum patris contempleretur, illiusque diuinam abundantiam meditaretur, vt ad illam institueret suum iter, gressusque suos in illam dirigeret.

75. Nicæus.

Asper cibum conuertit ad salutem.

Secundò. D. Gregor. Nicæn. in Catena Diui Thomæ. Contempserat patrem, ait, in primo recessu adolescentior filius, & opes paternas profuderat; at lapsu temporis est attritus laboribus, dum mercenarius fieret, & eodem cum porcis pabulo pascetur, rediit in domum paternam. Nota illud. Diu eodem cu porcis pabulo pascetur, rediit. Comedeat Prodigus siliquas, nec illis satiabatur, statim suæ perditionis memor, ad patrem ire disponit, vt pristinam suam felicitatem recuperet; Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, in se autem reuersus, &c. Qui adolescentem tantis vitiis mancipatum, in hanc bonam cogitationem euocauit vt ad patrem ire festinet. Cupiebat implere ventrem de siliquis. Rusticus, & villis cibis hominis luxuriam refrænât, ac à vitiis reuocat, vt temporalia contemnat, salutem quærat, & ad Deum veniat.

76. Chrysofolog.

August.

Tertio. D. Petrus Chrysofolog. serm. 2. Fames reuocat, quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere. Cur tandiu adolescens hanc bonam cogitationem distulit, vt ad ad patrem ire contendat? Præmittit textus. Ipse autem cepit egere; & quem abundantia à patris domo alienauerat, fames, ac aduersitas reuocat; ipsamque ærumnam dedit Clementissimus pater perditissimo filio longissime à se distanti, vt eum emendaret, ac ad se reduceret. Optimè D. Augustin. in Psal. 138. Haud verò, ait, in illa egestate conteretur, haud porcos pascere poneretur: nisi pater vellet flagellare longinquum, vt reciperet propinquum? Et idem in Psal. 70. Filius minor, ait, qui voluit in sua potestate habere substantiam suam, que illi apud patrem optimè seruabatur, factus sue potestatis, profectus est in regionem longinquam: haesit principi mala, porcos paui. Fame correctus est, qui saturitate superbis abscesserat.

Cum Deus videret populum suum pœnitentem, ac conuersum ait per Ioëlem. cap. 2. num. 25. Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos. Promittit Deus annos fertilitatis pro illis, in quibus magna fame oppressi fuerunt, tunc enim locusta, bruchus, &c. deuastauerunt omnes terræ fructus; illud tamen in præfenti facit difficultatem, quod locusta, & bruchus, dicantur à Deo fortitudo mea magna. Hæc sunt parua quædam animuncula, planum est, vt notat Theodoretus, quod Deo sunt multa maiora animalia, ac instrumenta ad hominem puniendum; Cur ergo illa à Deo appellantur fortitudo mea magna? Locusta, & bruchus solent frumenta corrodere, ac proinde famem gignere, qua vehementissime, ac tanquam fortissimo medio homines ad Deum trahuntur, quos enim abundantia in scelerata demerferat, fames producit in vitam.

77. Ioëlem. 2.

Theodoret.

Per famem forti medio homo trahitur ad salutem.

78. Osee. 4.

Pressura, ac fame conuertitur homo ad Deum.

Hieron. Theophyl. Theodoret. Rufin.

Postquam Deus recenset calamitates Israël, suppliciaque illi illata ob sua peccata, ait Osee. cap. 4. num. 16. Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine. Quid est, quod cum Dominus vult educere Israël à suis iniquitatibus, reducereque eum ad se, ipsum comparat cum agno in solitudine? Agnus cum grege ouium in solitudine exultabat, & lætatur: at verò ipso grege perempto, vel recedente agniculus in ipsa solitudine ter montium pererrans tristi balatu, multaque fame cogente vbera matris requirit; sic ait Deus, ego faciam cum Israël, vt ipse à suis voluptatibus, ac delitiis abstractus, & derelictus fame, ac necessitate cogente; pœnitentiæ vlulatu mea vbera, meamque doctrinam, ac legem requirat, vt explicant D. Hieronym. Theodoret Theophylact. & Rufinus, cuius hæc sunt verba. Genes, ait, subiecta hostibus trulentis, per solitudinem ingredi cogatur, quam tamen non absque qua, prouidentia Diuina distulit; propter quod dixit, nunc pascet eos Deus, sed vt imposta calamitatis magisterio intelligat. Vide supra. cap. 7. num. 46. & 48. & tom. 3. verbum Labor in Indice.

- Luc. 15. n. 18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cælum, & coram te.
- Nu. 19. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

VERSIONES.

- Syriacus n. 18. Surgam, proficiscar ad patrem meum, & dicam ei: Pater mi.
- Euthymius. Surgens ibo ad patrem meum.
- S. Paulin. Peccavi in cælum, & in te.
- Syriacus n. 19. Neque amplius sum dignus, qui vocer filius tuus.
- Arabicus. Non sum dignus vocari filius tibi, sed fac me sicut vnus mercenariorum tuorum.

EXPO

EXPOSITIO V.

79. Hieron.

Bostrensi.

August.

Chrysol.

80. Beda. Patri pietas.

Bostrensi.

August. Chrysol.

In solem peccat, qui illi in debitis dat honores.

Maldonat.

Chrysol.

Chrysol.

Celada.

Basil.

81. Hieron.

Euthym.



VRGAM. Iacentem se agnouerat, quem luxuria, ac vitia deprefferant, & deiecerant. D. Hieron. Epist. ad Damascen. Pulchre, ait, surgens, patre quippe absente, non steterat, peccatorum iacere, iustorum stare, est. Titus Bostrensi. Surrexit, ait, è peccatorum cathedra. Vbi vitia à Dæmonibus dediscebat. Et ibo ad patrem meum. Titus Bostrensi. Hoc est, ait, pulchre coarserat, vnde turpiter decessi. Ibo peccato ergo relicto. Et bene ait Ibo, inquit D. Augustinus lib. 2. quæst. Euangel. cap. 33. Ibo, puta longe aberat, ad patrem meum, quia sub principe porcorum erat. Expende verbum, quod ait. Ad patrem meum, quem pissimum agnoscebat, à quo cuncta bona amissa erant recuperanda, vt infra dicam ex D. Thoma. Vnde ait D. Chrysofolog. serm. 1. Hoc petit, ait, quia penes extraneum, seruam senserat libertatem; penes patrem credit sibi futuram liberam seruitutem.

Quia tali patre indignè conuersatus sum. Et ideo subdit Beda. ad filij affectum, seu honorem aspirare non præsumit. Bene tamen notat D. Hieron. citato loco, quod quamuis prodigus se dicit filium indignum; tamen ex naturæ affectu patrem vocat: sic ait. Dicit se non esse dignum filium nuncupari, & tamen ex naturæ voce, ex illa substantia quam illi fuerat aliquando pater largitus in nomen trepidus veritatis erumpit, Pater, inquit, peccauit in cælum; quem esse filium humilitas oris silentio occultabat, ipsa tamen natura accepta auctorem, ac opificem suum publicabat, de quo etiam iterum quæst. sequenti: fac me sicut vnus de mercenariis tuis. Confiteretur se non esse dignum, vt in magna gratia, ac honore filiorum recipiatur, quam antea habebat, & culpa sua perdidit, rogat vero modò, vt inter infimos fidelium admittatur. Euthym. Ex quo, ait, excidi primo ordine, dignare me, vel secundo, tantum ne me penitus abicias.

Beda. Hieron.

Dona à Deo accepta non possunt occultari.

Euthym.

QUESTIO IX.

Quare Prodigus fame tabescens decernit animo venire ad patrem, à quo longissime recesserat nullo præmisso intercessore?

Ab hoc secundo incipio quæstionem. Animus patris discessu filij exasperatus fuerat, cur cum ipse ad patrem redire cogitat, non præmittit aliquem mediatorem, qui patris animum deleniret. Apud patrem non aliquis extraneus, sed vehementius ipse paternus affectus intercedit, & loquitur, ac proinde valde apposite adolescens parat venire, certus quod nunquam patris viscera deficerent. Pulchre Chrysofologus serm. 2. Qua spe? Ait, qua fiducia? Qua confidentia? Qua spe? Illa qua Pater est. Ego perdidit, quod erat filij: ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus, intrus est in patris pectore ipse, qui interuenit, & exorat affectus. Vrgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam. Vnde Pater filium adhuc à longe stantem prius videt, quam videatur ab ipso, ei occurrit amplexu, & osculo, vt per veniam iterum filium in sui amore parturiat. Vrgentur Patris viscera iterum filium genitura per veniam. Ac proinde efficacius negotiauit filius, dum paternis oculis se obiecit, quam si quemlibet alium mediatorem ad patrem direxisset. Ad quæstionem

82.

Chrysol.

In Deo nunquam patris amor deficit.

83.

Chrysol.

Respondet primò. D. Chrysofom. homil. 11. in Epist. ad Rom. Postquam dixit, ait, ibo ad patrem meum, quod ei cuncta attulit bona, non mansit, sed totum iter transiuit, sequitur enim, surgens venit ad patrem suum. Iacebat Prodigus valde debilitatus, & cum propè se haberet siliquas, quas præ fame manducare cupiebat, ad illas tamen vitibus deficientibus gradum facere non valebat; qui tam infirmus erat pro cibo capiendò, quomodo tam longissimam viam arripere animo determinat, vt ad patrem veniat? Dixit enim ipse: ibo ad patrem meum; ex eo quod ipse patrem mente cogitauit, in mentèque habuit, ipsa Patris cogitatio dedit vires, addidit alas, quibus posset infirmus homo in salutem euolare. Dixit ibo ad patrem meum, quod ei attulit cuncta bona, non mansit, sed totum iter transiuit.

Dei memoria dat vires, vt via in salutem arripias.

84.

Chrysol.

Secundò. Idem Chrysofom. citato loco sic pergit.